

do imponenda fuit. Vidimus mediocrem lamiam mille librarum pondere; Capite est dorsoq; latissimis. Cauda, si reliqui corporis magnitudinem spectes, minus crassa spissaq; in lateribus compressa, pinnis duabus constans. Non procul à caudâ alie duæ sunt pinnulae, una inferior, altera superior, ad branchias, & ad podicem alie binæ, in medio ferè dorso una alia. Cute asperâ integitur, cui pingue quiddam subest. Capite est magnò, dorso brevi, sed latò, oris scissurâ maximâ. Dentibus acutissimis, durissimis, trianguli figurâ, utrinq; serratis, quorum sex sunt ordines; primi ordinis dentes extra os prominent, & in anteriorem partem vergunt, secundi recti sunt, tertii, quarti, quinti, & sexti in os recurvi maximâ ex parte, in utraq; maxilla carne molli, fungosâq; coniecti. VENTRICULO est VASTISSIMO, GULâq; AMPLISSIMâ. Piscis est carnivorus, voracissimus & Anthropophagus: cadavera enim mortuorum etiam integra vorat, quod ex dissectione compertum est. Massilia enim & Niceæ aliquando captæ sunt lamie, in quarum ventriculo homo loricatedus inventus est. BELLONIUS hæc de Lamiâ tradit: Latorum ac planorum piscium viviparorum, ac cartilagineorum longè maximæ molis evadit, qui Græcis λαμύνης, Latinis Lamia dicitur, ipsâ voce ad Hamiam quodammodo accedente; de quò sic Oppianus: Et quis vastus aper superabit robore lamnam? Galeorum generis est, scabraq; cute integitur: atq; os habet in anteriore capitis parte, rhinæ aut ranæ modò positum: in quo mirum hoc esse videtur, quod dentibus plus minus ducentis sit refertum, in utrâq; maxillâ per quaternos versus dispositis: ad radicem latis, in acutum ac pyramidem desinentibus, atq; ad latera crenatis. De ejusmodi pisce sive Lamiâ NIEREMBERGIUS Hist. Nat. p. 265. refert, quandam hujus generis beluam irrupuisse per fretum Herculeum atq; elapsam per mediterraneas Hispaniæ oras Valentiam appulisse, ibiq; exanimatam, 150. dodrantes prolixam fuisse, molis circuitu 100., vacuitate cerebri 7. homines capientibus. Equitem in os consistere potuisse. Maxillas, quæ in Escuriali servantur, usq; ad 17. pedes porrectos, 20. dentium duorum dodrantium, minimi, unius pondus habentibus, arcuatas fuisse. Genitalia habuisse immo-dica; duo cadavera in stomacho reperta.

§. IX.